

modum complacentiæ velit veritatem illam amare, aut in ejus assensum consentire, id omnino libere et sine ulla prævia determinatione physica facere poterit. Si vero revelatio sit obscura, tunc in substantia non excedit rationem fidei, et ideo ad assensum necessaria erit motio libera voluntatis. Verumtamen, sicut in aliis vocationibus ad fidem, voluntas credendi ordinarie non habetur per physicam determinationem, sed per vocationem congruam, ut ille auctor admittit, ita in propheta voluntas assentiendi revelatis per inspirationem congruam et opportunam optime fiet; ergo etiam ex hac parte necessaria non est prædeterminatio physica ad prophetiam cognitionem, magis quam ad cæteros supernaturalis actus.

25. Secundo, considerari potest in propheta exterior locutio, seu prædicatio prophetiæ, ad quam imprimis requiritur voluntas libera loquendi, et annuntiandi revelationem sibi factam, vel doctrinam revelatam, nam sine ulla dubitatione ita loquebantur prophetae, plena libertate, et cum magno merito. Loquebantur autem moti a Spiritu Sancto, qui eis voluntatem loquendi inspirabat, et quando ad hoc munus illos efficaciter eligebat, congrue etiam inspirabat eis talem voluntatem, ita ut infalibiliter eam haberent, et in ea perseverarent, quamdiu et quomodo Deus volebat; ergo neque ad hanc voluntatem erat necessaria prædeterminatio, sed ordinarius modus inspirandi et vocandi congrue sufficiebat; post voluntatem autem necessaria etiam erat gratia et directio Spiritus Sancti, vel ad loquendum sine errore, et sine additione aliqua vel diminutione eorum quæ Deus revelaverat, et annuntiari volebat, vel ad loquendum conceptis verbis tali ordine et modo dictatis a Spiritu Sancto. Verumtamen, licet ad hoc esset necessaria specialis directio Spiritus Sancti, non tamen erat necessarium novum auxilium, ex parte voluntatis, sed ex parte intellectus, quia per actum explicatum jam sufficienter erat voluntas determinata ad movendam linguam, ut proferret quicquid Spiritus Sanctus menti dictaret: postea ergo solum necessarium erat ut Spiritus Sanctus dictaret et offerret verba et seriem eorum, et hoc modo linguam dirigeret; ergo neque ex hac parte erat necessaria prædeterminatio physica ex parte voluntatis ad actum liberum, sed solum erat necessaria determinatio ex parte materiæ, seu subjecti, quæ potest dici quoad specificationem, non vero quoad exercitium actus eliciti a voluntate, de

quo tractamus. Qui modus determinationis etiam inter homines suo modo reperitur. Nam cum amanuensis scribit quæ ego dicto, libere omnino scribit, et ad id ipse se determinat, non ego determino illum, saltem physice, licet rogando vel præcipiendo possim illum moraliter movere, et nihilominus ex parte materiæ et objecti, determino quoad specificationem scriptionem ejus, ut talia verba et tali ordine scribat. Ad hunc modum cum majori tamen excellentia determinat Deus locutionem Prophetæ, efficaciter proponendo illi talia verba, et non permettendo ut illi alia occurrant, nec aliquod impedimentum, quominus integre et perfecte illa concipiat et exprimat, ei occurrat. Quæ quidem respectu intellectus et linguæ quædam necessitas est, respectu autem voluntatis nulla est, nisi quoad quamdam determinationem et specificationem. Nam quoad exercitium, jam supponitur in voluntate determinatio libera prophetandi exterius, neque novum actum elicit ad quem determinatione quoad exercitium indigeat, et, ad perseverandum in eadem voluntate, perseverantia prioris vocationis et inspirationis sufficit.

26. Secundo, quomodo intelligenda verba illa: *Lingua mea calamus scribæ, etc.* — Atque ita optime intelliguntur verba illa: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Nam sine dubio Deus inspiraverat Psalmistæ loquendi voluntatem, et libere volebat linguam movere, ad loquendum ea quæ Spiritus Sanctus dictaret, et ideo in ipsa locutione recte comparat linguam suam respectu Spiritus Sancti calamo scribentis, quia in illa locutione nihil suum agnoscebat, nisi motionem linguæ; nam verba et res dictabat Spiritus Sanctus, et ita utebatur illa lingua tanquam instrumento. Quod tandem potest non male explicari per verba Sapientis: *Homini est animam præparare, et Domini gubernare linguam,* si per illam animæ præparationem voluntatem loquendi intelligamus, quæ, quando est sancta, tribuatur homini, non quia non sit etiam ex inspiratione divina, sed quia per liberam determinationem habetur. Gubernare autem linguam non semper est in hominis potestate vel libertate, quia pendet ex imaginatione, et conceptione verborum, quæ non semper est in manu hominis, et multa occurrere possunt, homine etiam invito, quæ illam perturbent. Hæc autem necessitas altiori modo invenitur in locutione prophetica, et ideo altior directio et gubernatio linguæ est necessaria; tota vero

fit medio intellectu et phantasia sine novo usu libertatis, ut explicavi.

27. *Idem dicendum de scriptore canonico, quod de prophetica locutione dictum.* — Et quod dixi de prophetica locutione, eadem proportionem locum habet in scriptore canonico. Antecedit enim in illo libera scribendi voluntas ex divina inspiratione concepta, sine illa prædeterminatione physica, sicut de prophetis explicavi. In ipso vero actu scribendi, non erat necessaria nova motio voluntatis, sed sola specialis directio, ex parte intellectus, et phantasiæ ac memoriæ, tam rerum quam verborum, si necessaria esset. In hoc enim potest esse varietas, juxta materiam scripturæ et dispositionem antecedentem scriptoris. Interdum enim scriptor excitatur a Spiritu Sancto ad scribendum quæ alias vidit, vel novit, ut de se dicit Lucas capite primo Evangelii. Et tunc Spiritus Sanctus non omnino prævenit scriptoris mentem, sed ab illo vult etiam diligentiam adhiberi, ut ex 2 Machab. 2 colligimus, et totum id fit per liberam voluntatem scribentis, non determinatam physice, sed inspiratam, et motam congruenter a Spiritu Sancto. Ultra diligentiam vero et supra libertatem scriptoris, Spiritus Sanctus assistit menti ejus, dirigendo, et supplendo quod ipse scriptor sua diligentia non potest, vel non assequitur, vel removendo ne quidquam scribat aliter quam Spiritus Sanctus vult. Aliquando vero scriptor mere prophetice scribit quæ tunc actu ei revelantur, et a Spiritu Sancto dictantur, et omnino se gerit scriptor sicut amanuensis Spiritus Sancti, sicut Baruch scribebat verba quæ dictabat Jeremias, et ipse Jeremias (ut dicitur Jeremia 36) dictabat tanquam legens ex libro, utique ex libro mentis suæ, in qua Spiritus Sanctus ea scripserat. Et in utroque, tam Jeremia quam Baruch, voluntas scribendi, vel dictandi, et obediendi Deo hoc præcipienti, omnino libera erat, ex inspiratione divina, sine physica prædeterminatione; materia autem et verba Scripturæ erant omnino ab Spiritu Sancto sine interventu voluntatis humanæ. Quocirca, in toto opere scribendi, vel dictandi canonicam scripturam, nulla prædeterminatio physica voluntatis humanæ necessaria est: neque invenitur opus supernaturale pro quo sit necessaria, nisi ubi voluerit Deus humanæ voluntati absolutam inferre necessitatem.

## CAPUT XXI.

QUID ADDAT AUXILIUM EFFICAX AUXILIO PRÆVENIENTI SUFFICIENTI, SEU VOCATIO EFFICAX GENERALI AC SUFFICIENTI VOCATIONI, ET AN PER CONGRUITATEM VOCATIONIS HOC SUFFICIENTER EXPLICETUR.

1. Diximus in cap. 5 auxilium efficax in vocatione aliqua speciali, ac proinde in aliquo modo excitantis gratiæ consistere, et in subsequenteribus declaravimus nullam esse excitationem quæ, ex sola sua intrinseca natura seu entitate, talis seu tam efficax sit; nec, præter vocationem, necessariam esse aliquam prædeterminationem ex parte Dei, quæ vocationi tribuat efficacitatem illam, nam omnino talem modum efficacitatis exclusimus; tum quia repugnat sufficientiæ gratiæ, cui illa prædeterminatio non adjungitur ex parte Dei; tum etiam quia pugnat cum arbitrii libertate. Et ideo superest explicandum quid illud sit, quod vocatio efficax addit ultra sufficientem; nam cum vocatio sufficiens sit vera vocatio, et de se effectrix consensus, et nihilominus vocatio efficax ab illa distinguatur, necesse est ut ratio *efficacis* aliquid addat tali vocationi; quid ergo illud sit inquirimus. Quod certe obscurum est, nam ideo dixit Augustinus hanc vocationem efficacem, altam, et secretam, et profundæ considerationis esse; conandum nihilominus est id explicare, quod breviter per nonnullas assertiones faciemus; deinde, ad majorem declarationem et confirmationem nostræ sententiæ, nonnullis objectionibus satisfaciemus.

2. *Vocatio efficax non addit sufficienti novum auxilium præveniens, nec aliquam entitatem, vel proprietatem realem absolutam, quæ ad constituendum auxilium efficax, et distinguendum illud a sufficiente necessaria sit.* — Primum ergo asserimus vocationem efficacem non addere sufficienti novum auxilium præveniens, nec aliquam entitatem vel proprietatem realem absolutam, quæ ad constituendum auxilium efficax, et distinguendum illud a sufficiente, necessaria sit. In hac et sequentibus assertionibus abstinere nunc a probationibus, et ab auctoritate; quia de hac re sigillatim agendum est in capitibus sequentibus. Nunc solum assero saltem in eo esse hanc propositionem consentaneam Conciliis et Patribus, quod in illis non invenimus alia auxilia gratiæ prævenientis nostrum velle, et per



quam Deus efficiat nos velle, nisi auxilia excitantia, ut sunt illuminationes et inspirationes. Non potest autem vocatio efficax addere ultra sufficientem aliquod peculiare auxilium excitantis gratiæ, quod per vocationem non efficacem non detur, tum quia si illud auxilium est necessarium et negatur, vocatio quæ datur sine illo non poterit esse sufficiens, juxta principia hæc hactenus posita et probata; tum etiam quia probatum est nullum auxilium excitans, de se et ex vi suæ entitatis, esse efficax ad determinandam voluntatem ad unum; ergo, quocumque auxilio excitante dato, oportebit inquirere per quid fiat efficax, et sic procedetur in infinitum; vocatio ergo non fit efficax per additionem peculiaris auxilii excitantis. Ergo nec per auxilium prævium ad velle liberum, quia, ut dixi, nullum est tale auxilium prævium nisi excitans. Et hæc ratio etiam probat in universum vocationem non constitui in ratione efficacis per entitatem, vel proprietatem realem illi additam; nam vel illa esset res distincta ab omni excitatione, vel tantum modus ejus; neutrum est verisimile, et utrumque involvit omnes difficultates tactas de auxilio prædeterminante, vel rem non explicat.

3. Primam partem probō, quia si est entitas distincta, erit speciale auxilium actuale distinctum ab excitante, et prævium ad actum, ac proinde distinctum ab influxu simultaneo in ipso imbibito, et sic erit auxilium actuale medium inter excitans et velle liberum, quod, ut dixi, in sanctis Patribus non invenitur, et obiter notari possunt Augustinus, in quæst. 2 ad Simplician. dicens: *Credere Dei esse et nostrum, Dei vocando, et nostrum sequendo.* Ubi inter illa medium non constituit; nec in l. 83 Quæst., quæst. 68, cum dicit: *Si quis sibi tribuat quod veniat vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus sit.* Nec Prosper, l. 2 de Vocat. gent., cap. 26, ubi, cum descripsisset modum vocandi Dei per inspirationes, illuminationes, etc., immediate subjungit: *Sed voluntas subjungitur huic gratiæ, quæ ideo excitata est ut incipiat velle cum merito, quod divino semine conceperat.* Neque etiam Bernardus medium illud agnovit, lib. de Grat. et liber. arbitr., circa finem. Si vero proprietas est tantum modus intrinsecus excitationis, ille non potest esse nisi vel infirmitas, vel claritas, vel similis proprietas, si excitatio sit in intellectu, vel suavitas aut quid simile, si sit in voluntate; nihil autem hujusmodi sufficit ut excitatio de se vel in se fiat absolute efficax, ut supra probatum est, quia per talem proprietatem non ex-

trahitur motio a ratione gratiæ excitantis, de qua probatum est non habere de se talem efficaciam. Et inde facile probatur altera pars; quia vel illa entitas aut proprietas talis est ut sit necessaria ad operationem, et sic sine illa non erit vocatio sufficiens, vel non est simpliciter necessaria, et sic non pertinebit ad auxilium efficax, quod necessarium est. Item vel, addita illa entitate aut proprietate, necessario sequitur consensus voluntatis, et sic non erit liber, quia illa necessitas est antecedens, et procedunt omnes rationes supra factæ contra physicam prædeterminationem, vel non sequitur necessarium, et sic non sequetur infallibiliter, ex vi talis entitatis seu proprietatis per se et absolute spectatæ, et consequenter non sufficet ad constituendam vocationem in ratione efficacis.

4. *Vocatio efficax, quænam sit.* — Dico secundo: vocatio efficax illa est quæ de facto habitura est infallibiliter effectum a vocante intentum, et ideo, licet in se sit gratia præveniens a solo Deo facta, nihilominus includit habitudinem ad cooperationem futuram liberi arbitrii, cum auxilio gratiæ simultaneo, et consequenter includit quamdam congruitatem respectu personæ cui datur, ut sit illi ita proportionata et accommodata, sicut oportet, ut in tali persona, in tali tempore et occasione infallibiliter effectum habeat, et per hoc habet illa vocatio quod congrua et efficax sit. Hæc doctrina communiter approbatur a Theologis nostræ Societatis, et ab aliis Doctoribus qui negant prædeterminationem physicam, quos supra retuli. De aliis vero antiquioribus et Patribus dicam inferius; nunc prior pars probatur facile ex dictis, sequitur enim a sufficienti partium enumeratione; nam gratia efficax dicitur quæ infallibiliter habitura est effectum, et sub hac ratione a Deo infunditur, ut in superioribus declaratum est. Sed non habet hanc infallibilitatem ex vi suæ entitatis, vel alicujus absolutæ proprietatis suæ, ut proxime ostensum est, et sequitur clare ex omnibus dictis contra alias sententias; ergo necesse est ut habeat conjunctam habitudinem ad effectum futurum cum libera determinatione, ut inde habere possit dictam infallibilitatem, seu fundamentum ejus; non enim potest cogitari alius modus talis infallibilitatis. Secundo, declaratur a simili de præscientia Dei circa futura contingentia; est enim infallibilis, quamvis objectum non habeat in sua causa determinationem, et ideo dicimus necessarium esse ut talis scientia includat habitudinem ad ip-

sam determinationem causæ, ut suo tempore futuram, non quia aliter esse non possit, sed quia non aliter futura est. Sic igitur hæc gratia quæ antecederet infunditur, infallibiliter habebit consequentem operationem voluntatis, non quia aliter esse non potest, etiam stante illa gratia, sed quia aliter futura non est.

5. *Notabilia D. Augustini verba.* — Altera vero pars de congruitate seu proportionem ad personam, supposita præcedenti, solum pertinet ad modum loquendi; nam cum tale auxilium dicat habitudinem ad effectum infallibiliter futurum, et eam non habeat ex innata proprietate absoluta, oportet ut habeat ex congruitate, vel proportionem quam habet ad talem personam. Et quamvis infra de Augustini mente in capite speciali dicturus sim, libet tamen nunc saltem ostendere hunc loquendi modum, non ab alio quam ab Augustino desumptum esse. Ille enim, imprimis in q. 2 ad Simplician., multis verbis doctrinam hanc tradit, ex quibus pauca indicabo: *Cum eadem res, inquit, alio modo dicta moveat, et alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau mentem applicaret, voluntatemque conjungeret.* Ubi duo advertito: unum est ponere congruitatem vocationis, non in modo ejus absoluto, sed respectivo ad talem personam; aliud est quod, posita illa vocatione, dicit per illam fieri, ut is qui illam recipit, verbi gratia, Esau, si illam reciperet, suam mentem et voluntatem applicaret; nam illa verba recte intelliguntur ut illud *Esau* in casu nominandi positum sit, et det suppositum verbo applicandi, et conjungendi vocationi Dei. Quod si quis dixerit sensum potius esse Deum per vocationem potuisse mentem Esau (vocem hanc in genitivo ponendo) applicare, quod ad præsens spectat, non multum refert, quia sensus in idem redit, nimirum, non defuisse Deo modum vocandi, ita accommodatum Esau, ut per vocationem illam quod volebat obtineret. Prior vero sensus videtur magis ad Augustini mentem, nam statim, cum de reprobis dixisset non esse congruenter vocatos, subdit: *Possent alio modo vocati accommodare voluntatem.* Præterea sic inquit: *Licet multi uno modo vocentur, tamen quia non omnes eodem modo affecti sunt, illi sequuntur vocationem, qui illi capiendæ reperiuntur idonei.* Ubi valde notanda est causalis nota, quia non in extrinsecam prædeterminationem, sed in congruentiam vocationis causam refert sequendi vocationem. Idemque significat, cum

iterum inquit solius Dei miserentis fuisse illo modo vocare, quomodo aptum est. Ac denique illi (inquit) *electi qui congruenter vocati.* Ex quo verbo sumptum est nomen vocationis congruæ. Præterea, ex lib. de Don. persev., cap. 14, hæc verba notanda sunt: *Ex quo apparet in quibusdam esse naturale lumen intelligentiæ, quo moveantur, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Sed hæc et alia multa inferius late tractanda sunt.

6. *Infalibilis connexio, quæ in vocatione congrua, seu efficaci cum libero consensu invenitur, non est mere causalis, sed præscientiæ, etc.* — Dico tertio: infalibilis connexio quæ in vocatione congrua seu efficaci cum libero consensu invenitur, non est mere causalis, sed præscientiæ, non per absolutam scientiam, sed per conditionatam, qua Deus de omni voluntate creata et creabili præscit quid sit actura in omni tempore et occasione, si hoc vel illo modo excitetur seu vocetur. Ita docent auctores allegati, et alii inferius allegandi, et assertio solum indiget brevi declaratione, quia ex superioribus sequitur. Supponit ergo assertio vocationem efficacem, quam ad majorem claritatem congruam appellamus, habere infalibilem connexionem cum consensu voluntatis, quod est clarum ex dictis, tum quia hoc est de ratione auxilii efficacis, ut supra posuimus; tum etiam quia hoc est necessarium, ut hæc vocatio sit medium ad divinam electionem, prædestinationem, aut efficacem prædefinitionem implendam, ut notum est. Infalibilitas autem, proprie loquendo, respicit intellectum, est enim proprietas cognitionis, seu scientiæ, et objecti ejus. Unde sicut dupliciter cognosci potest effectus futurus, scilicet in causa et in se, ita duplex distinguitur infalibilitas, altera in causa, altera in effectu ipso, seu in emanatione actuali ipsius effectus a causa. Auxilium autem efficax est causa liberi consensus, et tunc dicitur efficax, cum ita datur, ut infalibiliter habeat effectum inducendi hominem in consensum; dicimus ergo non esse hanc infalibilitatem in causa, id est, in tali vocatione, vel auxilio secundum se spectato. Quod etiam est manifestum ex dictis, quia vocatio non dicitur efficax, ex eo quod voluntatem sua naturali virtute ita determinet ad consentiendum, quin possit non consentire, si velit, etiam in sensu composito, seu posita tali motione; sed, quod ita est ab aliqua causa, ut possit non esse, non obstante illa, seu etiam illa posita, non est infalibile



in causa, quia quod est infallibile in causa, non potest non evenire, posita illa; ergo hæc infallibilitas non potest esse in ipso auxilio secundum se spectato, tanquam in causa. Et inde concluditur debere esse in præscientia, quia in effectu futuro, priusquam fiat, non potest alius modus infallibilitatis cogitari, ut est per se notum. Rursus hæc præscientia in præsentia non potest esse absoluta, quia præscientia absoluta futuri consensus gratuiti supponit auxilium efficax, et voluntatem Dei dandi tale auxilium ad talem effectum, ante quam voluntatem debet præcedere secundum rationem hæc infallibilitas, ut Deus, non quasi casu, sed per se, et ex propria intentione, intelligatur dare auxilium efficax, ut efficax est; ergo necesse est ut illa infallibilitas præcedat in scientia conditionata, qua Deus prænovit tale auxilium, si detur tali voluntati, in tali opportunitate futurum esse illi ita congruum, ut omnino sit illi consensura; talis ergo est infallibilis connexio auxilii efficacis cum suo effectu.

7. *Duæ sunt principales partes sententiæ auctoris, una negativa, altera positiva.* — Hæc est sententia nostra de auxilio efficaci, breviter et summatim proposita, quæ duas principales continet partes: unam negativam, scilicet, non posse consistere in vi quam ex se, vel ex decreto prævio vel absoluto voluntatis Dei habeat, prædeterminandi physice voluntatem humanam ad consensum; alteram positivam, qua efficacitas ejus dicto modo explicatur. Et hæc posterior pars, præter rationes adductas, concluditur a sufficienti divisione ex priori, quia non potest alius modus infallibilitatis et efficacitæ cogitari.

## CAPUT XXII.

DUABUS OBJECTIONIBUS CONTRA SUPERIOREM DOCTRINAM SATISFIT.

1. *Ad quatuor capita reducuntur objectiones contra præcedentem resolutionem.* — *Primum.* — *Secundum.* — *Tertium.* — *Quartum.* — Contra superiorem resolutionem multa obijciuntur, quæ ad quatuor capita reduco. Nam imprimis videntes contrariæ sententiæ defensores, si vocatio congrua, prout a nobis explicata est, possibilis sit, enervari maxime positionem physice prædeterminationis, persuadere conantur illud genus efficacitæ non esse possibile, et quia illa supponit dictam præscientiam, in hoc maxime insistent ut ne-

gent Deum esse præscium futurorum contingentium sub conditione in seipsis, nisi præcedat aliquod decretum prædeterminationem physicam in conditione involvens, in qua cognosci possint. Et rationes quibus hoc probare conantur, sunt præcipuæ objectiones eorum contra doctrinam positam; illis tamen satisfactum a nobis est in Proleg. 2, ubi duo ostendimus: unum est, conditionatorum contingentium præscientiam non posse Deo negari, secundum Scripturas, doctrinam Patrum, recitantesque rationem; aliud est, decreta conditionata ad talem præscientiam admittenda non esse, quia in multis divinæ bonitati repugnant, ut in actibus peccatorum, in aliis non decent Deum, utpote supervacanea et otiosa, in omnibus vero eadem repugnantia cum libertate creata quæ in physica prædeterminatione invenitur; sic ideo de hoc primo genere objectionum nihil nobis dicendum superest. Aliud caput objectorum sumitur ex necessitate auxilii, seu concursus prævii causæ primæ in secundam ante concursum imbibitum in ejus actione, de quibus satis dictum est in lib. 3, sub finem. Tertium caput sumitur ex auctoritate Scripturæ, Conciliorum, Patrum, aliorumque Theologorum, de quibus per varia capita sigillatim dicere decrevi, ac distincte, quia res est magni momenti, multumque interest novam ab antiqua doctrina discernere, quod non potest vel brevi vel confuso sermone fieri. Quartum caput objectionum ortum est ex nonnullis incommodis, vel etiam erroribus, quæ, ex nostra sententia, vel male intellecta, aut sinistre explicata inferuntur, et nobis tribuuntur, quibus in hoc capite et sequenti breviter satisfaciemus, quia occasionem amplius sententiam nostram declarandi habebunt.

2. *Prima objectio.* — Primo igitur obijciunt, quia ex nostra sententia sequitur efficax auxilium non physice, sed moraliter tantum efficere consensum voluntatis nostræ. Consequens est absurdum; ergo. Sequela patet, quia vocatio, quantumvis congrua, solum est gratia excitans, quæ, ut nos supra docuimus, non efficit physice consensum; ergo si auxilium efficax in sola vocatione congrua consistit, non efficit physice consensum. Hoc autem esse absurdum patet, quia in nobis non tantum desunt vires morales ad efficiendos actus supernaturales, sed etiam physice, quia superant activitatem physicam libero arbitrio naturaliter inditam; ergo oportet ut auxilium efficax de quo Augustinus dixit, *dare vires ef-*

*ficacissimas voluntati*, det utrasque vires, non tantum in genere moralis principii, sed etiam physici.

3. *Respondetur.* — Respondemus nunc nobis non esse controversiam de principio physice adjuvante ad præstandum consensum, omnes enim fatemur principium aliquod esse necessarium. Nos autem diximus illud (quidquid sit) tale esse, ut detur voluntati prius natura quam consentiat, relicta in ea potestate ad non consentiendum, seu non operandum per tale principium, etiam in sensu composito, id est, ad componendum simul cum illo principio, et tota gratia præveniente, negationem consensus. Ex quo etiam concedimus, et ita esse dicendum sentimus, et fieri posse, et sæpe etiam fieri, ut voluntas habens sufficiens principium gratiæ tam morale quam physicum ad consentiendum, non consentiat. Qua veritate supposita, ad argumentum respondetur, distinguendo primum consequens ex parte efficacis auxilii. Aut enim sub efficaci auxilio comprehenditur totum auxilium gratiæ necessarium in actu primo ad eliciendum liberum pietatis actum, et cum omnibus requisitis ut infallibiliter jungatur actui illum eliciendo, vel præcise intelligitur nomine auxilii efficacis aliqua motio actualis et prævia, quæ proxime inducit voluntatem ad consensum. Priori modo nego sequelam, quia auxilium efficax includit totum auxilium sufficiens, et hoc non tantum morale principium agendi, sed etiam physicum comprehendit, ut dixi. Posteriori autem modo, loquendo de auxilio efficaci, concedo sequelam, nam ubique Augustinus non aliter explicat illam motionem, nisi per internam suasionem et affectionem, ut ex locis proxime citatis in secunda assertionem constat, et plura alia postea inferemus. Neque ratio facta in contrarium procedit de auxilio efficaci in hoc posteriori sensu sumpto, sed in priori, neque ulla alia cogitari potest cur sit necessarius alius modus agendi, nisi fortasse propter prædeterminationem physicam, quam non admittimus.

4. *Ante actualem effectum consensus duo tantum auxilia prævia sunt necessaria; et quænam illa.* — Ut autem hoc amplius declaratur, adverte ante actualem effectum consensus duo tantum auxilia prævia esse necessaria. Unum est illud quod dat voluntati potestatem physice eliciendi consensum; aliud est quod Deus allicit et trahit eandem voluntatem ad libere eliciendum eundem actum. Illud prius datur, verbi gratia, homini justo per virtutes

voluntati infusas, dant enim potestatem physice sufficientem ad eliciendum suos actus, si velit; hoc vero posterius dat Deus per auxilia excitantia, quæ simul dant moralem potestatem, sine qua simul cum physica non potest fieri actus, et utrumque horum est necessarium ad auxilium sufficiens, et a fortiori ad efficax, ut sæpe dixi. Potestque circa hæc adverti, secundum modum connaturalem operandi, potestatem physicam supponi ad moralem excitationem, quia nemo excitatur, nisi ad id quod potest velle. Unde quia homo ex solis viribus liberis non habet potestatem physicam, saltem integram, ad efficiendos actus supernaturales, ideo, ut homo excitetur quasi connaturali modo, supponi debent habitus infusi, per quos integra potestas physica ad eliciendos hos actus datur vel completur. Quia vero hi habitus nec sunt naturales, nec debiti nostris potentiis, propter quod, secundum ordinem divinæ providentiæ, ut adulti illos recipiant, debent ad illos per proprios actus disponi, quod sine prævia excitatione facere non possunt, ideo necessarium est ut mutetur quasi connaturalis ordo, ita ut homo prius excitetur, quam physicam et internam potestatem operandi habeat, sed tantum quandam ejus inchoationem vel capacitatem. Hoc patet infidelibus qui alliciuntur ad fidem, antequam habeant internam virtutem infusam, et in peccatoribus qui ad poenitentiam excitantur. Et ideo tunc, ne excitatio frustra fiat, vel ad rem impossibilem, necesse est ut cum ipsa excitatione detur aliquo modo potestas physica ad actum eliciendum, ad quem voluntas excitatur; sive hæc potestas physica detur per ipsosmet actus gratiæ excitantis, juxta opinionem dicentium illos esse principia physica consensus quando præstatur; sive detur per aliquam aliam qualitatem supernaturalem simul cum excitatione datam modo quodam transeunte, ita ut non amplius permaneat in voluntate, quam ipsa excitatio daret, nec plus etiam determinet voluntatem ad consensum, quam excitatio ipsa, sed solum veluti præsto adsit potentiæ ad coagendum illi, sicut adest habitus, ut alia opinio non improbabilis tradit; sive talis potestas detur immediate ab ipso Spiritu Sancto, qui simul ac excitat hominem, præsto illi adest, et quasi sese offert ad juvandam voluntatem ejus, et cooperandum illi, ut per amicum possit quod per se non potest, ut nobis in tertio libro probabilius visum est. Quicumque igitur ex his modis verus sit, sufficit ut consensus non detur sine